Fragmentarium

mendacium enim est de se impertinens ad iuridicam inquisitionem.
Imo vix aliquis unquam mundanus poterit se abstinere a mendacio,
si velit veritatem elicere: quamquam nunquam liceat mentiri. Experientia
enim informationum et inquisitionum subtilium, atque deprehensionum
circa certas personas, docet informationes non esse illegitimas
ex praxi communi: quod sic est practicatum in iudiciis et haereticorum
et aliorum reorum, pene quotidie: et mira esset cecitas in homine
qui ignoraret talem esse praxim quotidie in deprehensione
reorum, etiam in omni specie criminis.

¶ Dicitur quod multi libri extant haereticorum quibus titulus est. De
modo vivendi inter papistas. Ex quibus constat quod haeretici
gallici qui habitant inter catholicos sunt eius sententiae quod
debent simulare se tenere fidem eorum quos vocant papistas.
Adducentes exemplum Naaman principis adorantis in templo
idolorum, inclinando sua genuflectionem ad verum Deum: ad
probandum quod licet sit vera idolatria adorare ex animo eukaristia
et missae ex devotione assistere, tamen exterius simulando devo//
tionem, assistere missae et genuflectere, concludunt esse licitum.
Itaque etiam ipsorum confessione et usu communi si simulatio ad ma//
lum finem ab eis praetensum sit licita: multo magis nobis
catholicis simulatio ad bonum finem, est licita arte artem
fallendo. Iuxta illud quod canitur in hymno dominicae passionis
de Christo: Hoc opus nostrae salutis ordo depoposcerat, mul//
tiformis proditoris ars ut artem falleret.

Anno 1516.

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, lat. 5288, 138v – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-k57p/418/37197)